



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton


Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XIII. Manipulus Joseph stans erectus in campo, erat typus
Christi Jesu in cruce exaltati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

suum unicūm, baculum senectutis suæ solebant vocitare: *Ut quid te- Tob. 10. 4.*
 misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostra, sola-
 tium vita nostra. Ego autem dico: O Cruce veneranda, pretiosissimo
 Christi sanguine purpurata, in qua salus mundi pependit, tu es lumen
 oculorum meorum, tu baculus senectutis meæ, tu solatium vitæ
 meæ, te millies, milliesque saluto & exosculor. Ecce advesperascit
 apud me, & inclinata est dies vitæ meæ, mane ergo mecum, Domi-
 ne, & Amor crucifixe, atque nunc in senectute mea ne derelinquas
 me, inter brachia enim tua & vivere volo, & mori cupio. Finio
 hanc considerationem cum Venerabili Thoma Kempensi: *Non est, Thom. Kemp.
 inquit, salus anima, nec spes aeterna vita, nisi in cruce.* serm. 20. ad
 Frat.



CONSIDERATIO XIII.

Manipulus Joseph stans erectus in campo,
 typus Christi JESU in cruce exaltati.

*Venientes autem venient cum exultatione, portantes ma-
 nipulos suos. Psal. 125. 8.*

1.

DE Josepho Jacobi Patriarchæ filio Sacræ perhibent litteræ, quòd
 aliquando mirabile somnium, non naturale, prout explicant
 Sacri Interpretes, sed à DEO sic immissum habuerit. Vide-
 bat is tempore messis in fertili parentis sui agro manipulum,
 quem ipse collegerat, proprio consurgere motu, & inter alios
 erigi in altum, quem reliqui fratrum suorum manipuli prono in ter-
 ram vultu adorabant. Audiamus ipsum loquentem: *Putabam nos liga- Gen. 37. 7.*
re manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosque
manipulos circumstantes adorare manipulum meum.

Per hunc Josephi manipulum solum inter omnes stantem & ere-
 ctum Patres in sensu allegorico Christum JESUM in agro Golgothæo
 in cruce stantem & erectum subaudiunt: *Hoc, inquit S. Ambrosius, s. Ambros.
 scriptum est de Joseph, completum in Christo, quando Judæi in ejus passione dice- lib. de Josephi
 bant; Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei &c. Cui cap. 3.*
 Sancto

Sancto Antistiti Mediolanensi addo Cornelium: *Hic manipulus Josephi, ait ex Ruperto Abbate, est Christus, quem omnes Legis & Prophetarum Lectiones, omnes Sancti & Angeli circumstant, & adorant.*

2. Consistit autem manipulus ex fasciculis, seu culmis aristarum frumenti, in quibus granum continetur, fertilitatis & abundantiae symbolum. Culmus erectus crux est, granum Christus Crucifixus; sic ipse Dominus, cum ad mortem crucis se pararet, non dubitavit
Joan. 12. 24. se grano frumenti assimilare: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hic adverte Lector prudens, quod granum frumenti multa pati debeat, aestum & frigus, ventum & pluvias, nives & pruinas, rastra & flagella, molam & ignem, donec panis mundus inveniatur. En hic perfectissimum typum crucifixi JESU, qui tanquam verum frumenti granum longè plura sustinuit, dum sapius in vita & passione à peccatoribus ventilatus, à Judæis in omnibus actionibus suis cribratus, à Gentilibus flagellis percussus, & in mola crucis contritus fuit: *Attritus est propter scelera nostra.* Denique cum in terram & sepulchrum projiceretur, tertio die gloriosè à mortuis resurgens multiplices, imò infinitos animarum fructus protulit: *Moriatur granum, sunt verba S. Bernhardi, & surgat Gentium seges: Oportet pati Christum & surgere à mortuis, & predicari in nomine ejus penitentiam & remissionem peccatorum.*

Isa. 53. 5.

**S. Bernhard.
serm. 15. in
Cant.**

3. Mandavit quondam DEUS, ut populus Israëliticus tempore primæ messis sibi manipulos offerret spicarum, ex quibus omnibus Sacerdos sibi unum selegit manipulum, quem in altum per aliquam perticam elevavit, & DEO in grati animi signum loco totius populi, aut communitatis obtulit: *Cum messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestrae, ad Sacerdotem, qui elevebat fasciculum coram Domino.* Et quare hoc?

Levit. 23. 10.

Rom. 12. 7.

4. Petrus Beslæus & alii, quod per hunc spicarum manipulum coram omni populo exaltatum, non alius fuerit adumbratus, quam pretiosissimus orbis Redemptor Christus in monte Golgothæo in ligno crucis exaltatus. Et sicut quondam populus, ubi hunc manipulum spicarum in pertica elevatum conspexit, in laudes & debitas gratiarum actiones DEO sospitatori ac conservatori suo persolvendas animatus, & solutus est: Ita quoque faciant nunc Christiani, ubi Dominum suum in pertica crucis, vel in Sacrificio missæ per manus Sacerdotis exaltatum & elevatum contemplantur, ut pro tanto, ac tam immenso redemptionis beneficio debitas DEO grates persolvant: *Cui honorem, honorem.* Et si quidem verè ac sincerè amas Crucifixum Dominum tuum, dic sapius, ubi Crucifixum respicis, cum Psalte regio: *Adorent eum*

um omnes Angeli Dei: Omnis terra adoret te, & psallat tibi. Vel cum Sancta Matre Ecclesia: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam crucem tuam redemisti mundum &c.

4. Mirum in modum gaudebat ille populus Israëliticus, ubi post tam longam 70. annorum captivitatem Babylonicam à Cyro Babylonis domitore in libertatem cum regiis muneribus fuerunt asserti; unde cum gaudio revertebantur in patriam suam, cantantes: *In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati;* Consolati sicut Jacob Patriarcha, qui cum audisset filium suum Joseph adhuc vivere, & toti dominari Ægypto, quem tamen jam dudum mortuum credebat & lugebat: *Et revixit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam & videbo illum.* Ita illi afflicti & omnibus spoliati bonis letabantur, ubi à Cyro audierunt se esse liberos, & in patriam reversuros. Prius cum in captivitatem tam remotam à Nabuchodonosore Rege abducti sunt, iter, campos & agros, quos colere debebant, fletibus ac lacrymis respergebant: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, sed nunc post expletos septuaginta captivitatis annos, in patriam redeuntes, cum gaudio portabant manipulos suos: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Observa hic sensum allegoricum, agitur enim hic de liberatione generis humani à captivitate diaboli per Christum & hunc Crucifixum facta, in cruce enim ab eo salvati & liberati sumus: Manipulus ergo Christi est Crux & cætera ejus Dominicæ passionis instrumenta; prius Christus in vita & passione sua ac Sancti ejus seminabant in lacrymis, nunc cum exultatione portant manipulos suos, hoc est victoriarum trophæa & palmas ab inimicis suis reportatas: *Palma in manibus eorum.* Juvat hic etiam audire S. Augustinum & Hieronymum: *Qui seminant, inquit, hic bona opera, & maxime verbum Dei, metent in futuro manipulos meritorum, & animarum, quas convertunt.* Hoc tibi cape, ô mi Lector.

5. Veniamus ad exempla Sanctorum pro Christo crucifixorum. S. Silanus Musicus, cum Christum crucifixum constantissime prædicaret, à tyranno, ut fidem Orthodoxam abnegaret, variè tortus est, qui illum spinis ferreis jussit coronari, in ligno, ceu in cruce distendi, clavis ab sudibus ferreis confodi, ac tandem capite plecti, qui sine mora abscissum caput suum in manus accepit, & super flumen sicco pede cum omnium spectantium admiratione deportavit, atque in templo B. Virginis, ubi humari voluit, ad pedes S. Frontonis orantis, deposuit.

S. Petrus M. aliàs vocatus Palsamus, nomine & passione S. Petri Apostoli imitator insignis, cum pro Christi nomine & fide Catholica, *Ginther Unus pro omnibus,*

G

quam

quam Gentilibus prædicabat, juxta civitatem Aulanam anno Domini 290. sub Diocletiano Imperatore cruci esset affixus, inter tormenta lætus illud Davidicum decantabat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Brev. Rom.
18. Junii &
Martyrol.
Rom.

SS. Marcus & Marcellianus fratres Romani, & operâ S. Sebastiani ad Christi fidem conversi, cum à Fabiano Judice Romano comprehenderentur, & constantes in fidei confessione permanerent, grandi palo, velut in cruce alligati sunt, & ferreis clavis in pedibus confixi; in quibus cruciatibus cum Judex ita eos interpellaret: Resipiscite miseri, & vos ipsos ab his cruciatibus eripite, læta & unanimi voce ac ore responderunt: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quam hæc libenter Jesu Christi causâ perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cepimus: utinam tam diu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.* Qui cum Christum laudare non cessarent, ejusque divinas laudes diu noctuque canerent, per latera crudelibus lanceis, ut sic Christo essent similiores, transfixi sunt, & ita ad cœlestè regnum gloriosi migrarunt.

Martyrol.
Rom. & Græ-
cum, 10. Jul.

Quibus adjungo S. Apollonium, qui Iconii sub Judice Perennio, postquam Christum & hunc crucifixum Gentibus magno cum Zelo prædicasset, à paganis tentus, variè vexatus, ac tandem cruci suffixus est, ad quam gaudens venit, & per eam insigne martyrium consummavit. O Christiani omnes, qui de Christo Domino nomen participamus, quid agimus? Adoramus crucem, & horremus crucem; adoramus in Ecclesiis, & horremus in propriis ædibus. Ecce isti Sancti cum gaudio amplexati sunt crucem, tanquam manipulum à DEO sibi destinatum, sed tandem *venerunt cum exultatione, portantes manipulos suos.* Et quomodo tu, anime mi, venies in cœlum, si refugis crucem? non sic proderit nobis esse Christi discipulos, nisi vivamus & moriamur in cruce; tunc de nobis illud verificabitur: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

